



St. Augustin



1. Aug: Vareny dff. De religione tutissima. 1656.  
2. Petri Malberg dff. de veritate Christianismi. 1706.  
3. Berah. v. Landen dff. De norma controversiarum  
lidel. 1709.  
4. Sam. Schelyng dff. De hereticis fugientibus. 1689.  
5. Year: Lysij programma. 1728.  
6. Iurdem dff. De episcopato iae. 1728.  
7. Bod: Wegeri dff. De ambitu Theolog. & 1708  
8. Christoph: Liuyhau auinadversiones  
in anonymi theologie astronomicae  
systema. 1718  
9. f. D. Deutrich dff. De natura theologiae  
morali. 1708.  
10. Willi: Lutheri explicatio dicti Ezech.

XIV - II - 24. 1037

abteilung  
Protestant

11. Bernh. v. Sanden. diff. de revelatione divina  
1702.
12. Godofre Weyeri diff. de Scriptura Sacra  
turis inspirata. 1701.
13. Joh. G. Neumann. diff. IX de erroribus  
fanaticorum. 1693.
14. apocryph. ad Samam societatis Rosae  
crucis. 1614.
15. Sam. Schelvijus. diff. de verbo Dei. 1701
16. Ach. Christi Rangern. diff. de iure Baptismi.  
1687.
17. polyc. Leyser. Codicis Rom. Exorcizmo.  
1591.
18. Mich. Grotken. diff. examinans paradoxum  
spirituum. 1707.
19. Dori. Sicuri. origo Atheismi. 1684.
20. pauli Roeberti. diff. de vita Evangeliorum  
emendatione. 1638.
21. Joh. G. Neumann. diff. de methodo augustinianana  
contra Walla Birchii. 1689.
22. Anti-symmarum formula in sacris notis  
Augustana confessioni ubiq. consentanea. 1666.
23. ejusdem, actus Baptismatis 1666 vero 1686
24. Godofre Weyeri. diff. utrum necessaret  
ceremonias in Ecclesia esse similes. 1695.
25. Balth. Bebelij. diff. de articulis fidei. 1673.
26. Joh. G. Neumann. orationes duas. 1692
27. Joh. Tolentij. diff. II de generatione hominis  
1696.
28. Joh. P. C. v. Sanden. 1695.
29. a Sanden. 1695.

1695:  
taua

30. Abri Calovij diff. De heresi abnegante 1639  
31. Jac. Henri. Baltazar de Zelo pomeranorum aduersus  
reformatorum. 1722
32. Wilh. Lypseri diff. de predestinatione 1636.
33. Abri Calovij diff. de eterna predestinatione 1634.
34. Abri Rubaoi programma 1639.
35. Abri Calovij diff. de abuso Calvinisticis in fidei myst. 1634.
36. Joh. Affelmanni trias Syllogismorum (Calvinisticorum) 1615.
37. Vorstij Specimen conscientiae 1612.
38. Joh. Wiegandus contra Noministas 1576.
39. Bel. Merlel & analysis phil. II. or 8=8. 1624.
40. Joh. franc. Slacki Scutinicum veritatis fidei 1575.
41. Sam. Schelguizij examen hujus Scutinij 1582.
42. Lud. Marc. Kiewietz conti Schelguizij expositio 1683.
43. Andri Dan. Habichthorst programma 1701.
44. ejur dem diff. in Jes. & Luth. VI. 16. 1701.
45. Joh. Wiegandus de loco unde effectio trino personis 1573.
46. Andri Virgini diff. De mysterio trinitatis 1634.
47. Machiaveli Grabe diff. contra Socianos 1662.
48. Joh. Christophi Roskouscher diff. De divina futurorum cognitione 1689.
49. Joh. Viet. Gregorovij programma 1712.
50. P. Weiz themata de justificatione fidei 1582.
51. G. Dof. Wegneri diff. de justitia superabundante 1583.
52. Joh. Wiegandi respi. in questi. de dicto Joh. peccatum est anomia 1572.
53. Act. Tarnovij diff. de discernimine peccati iracundia 1711.
54. Joh. Marcovij diff. de peccata fraude 1611. 1711.
55. M. C. Schott examen Martini v. 1536. 31. 1686.
56. Propterea epistola 1602. 16. 7. 1. 6. deponit

FAVENTE SUMMO NUMINE  
MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI FUSSU

PRO LOCO  
PROFESSIONIS IN THEOLOGIA  
EXTRAORDINARIÆ

NOTAS ET ANIMAD-  
VERSIONES

IN  
ANONYMI CUJUSDAM

THEOLOGIÆ  
ASTRONOMICÆ  
SYSTEMA,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

PRÆSES

CHRISTOPHORUS Langhansen/

S. THEOL. D. EJUSDEMQUE ET MATHEMATUM P.P.

RESPONDENTE

JOHANNE PHILIPPO Bullinger/

REG. BOR.

IN AUDITORIO MAXIMO

ANNO MDCCXVIII. DIE VIII. APRIL. HORIS ANTE - ET POMERID.

---

REGIOMONTI. TYPIS REUSNERIANIS.

PATRI PATRIÆ.  
AUGUSTISSIMO, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO**  
**WILHELMO,**  
REGI BORUSSIÆ,  
MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
S.R.I. ARCHI-CAMERARIO ET ELECTORI,  
SUPREMO ARAUSIONensi, NEOCOMENSI ET VALLAN-  
GINensi PRINCIPI,  
MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIAE, MONTIUM,  
STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDA-  
LORUM ET MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNAE  
D U C I,  
BURGGRAVIO NORIMBERGENSI,  
RINCIPI HALBERSTADII, MINDAE, CAMINI,  
VANDALIAE, SVERINI, RACEBURGI & MEURSAE,  
OMITI HOHENZOLLERIAE, RUPINI, MARCAE,  
RAVENSBERGAE, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,  
LINGAE, SVERINI, BURAE & LEERDAMI,  
MARCHIONI VEHRAE & VLissingae,  
VNASTAE RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGARDIAE,  
LAUENBURGI, BUTOVIAE, ARLIAE AC BREDAE, &c. &c. &c.  
EGI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,  
Dissertationem hanc inauguralem, qua Professionem in The-  
o-  
gia extraordinariam clementissime sibi nuper demandatam  
auspicatur, cum ardentissimo Regiae felicitatis voto  
bumillime offert  
CHRISTOPHORUS

## I. N. f.



Ametis paradoxæ Astronomorum clarissimorum, recentiorum imprimis placita non vulgo tantum, sed & eruditiorum quibusdam exosa omnino videntur & impia, eo quod plebeji Systematis mundisensibus blandientis eversionem in Scripturam S. injuriosam, ipsius veracissimi Dei testimonio oppido adversam censem; aliis tamen rationes Astronomicæ mentis oculo perspicacius introsponentibus, Scriptura attentius considerata alia prorsus fedet sententia, qui putat vivos illos errores cum divino verbo commode conciliari facile animadverturnt. In duas nimirum classes merito dispescimus, quæ in systematis Astronomicis suspectæ esse possunt propositiones, quarum altera certo demonstratas, altera maxime probabiles complectitur. Sicut enim cuiuslibet Doctoris scientiæ alicujus systema tradentis officium est, ut qua demonstratione licet, accurate demonstraret, in iis vero, quorum demonstrationem humana infirmitas non admittit, sententiam maxime probabilem, quantum possibile, inquirat & eligat; ita & Astronomi, quando ad veritatem pervenire datur, ex puræ Matheœcos principiis, adjunctis, quæ observationibus nituntur, propriis, quæ affirmant, solide & invictè demonstrant, quando autem eo usque procedere non possunt, eam eligunt sententiam, quam observationibus suis maxime convenire judicant. In utroque vero hoc thesum Astronomicarum ordine nullæ continentur, quæ cum divino verbo conciliari non debent, aut saltem non possunt; ita ut Scriptura autoritas sarta tecta maneat. Quod ad veritates certo demonstratas attinet, eas Scripturæ omnino esse conformes, adeo manifestum, ut non nisi stupidi ingenii hominem, aut Scripturæ irrisorem obloqui posse existimemus, saltem tamē, qui in rebus leviculis & ad fidem non spectantibus, imprimis Physicis & Mathematicis errasse scriptores sacros impie defendere audeat. Veritas veritati contradicere nequit, quia duo contradictionia simul vera esse nequeunt, adeoque quicquid ex lumine naturæ ut invicta veritas demonstratur, veritati extraordinario modo in Scriptura revelata non potest adver-

fari. De veritatibus natura notis expressis Paulus dicit, quod DEus eas patet fecerit, Rom. 1. v. 19. qui ut omnis boni, ita & Naturæ luminis autor est Jac. I. v. 17. Cum adeo DEus sine imperfectionis labi i ipsi contrariari nequeat, neque, possibile erit, veritates ex naturæ lumine notas contra illas pugnare, quas DEus in verbo suo manifestavit. Quando proinde Astronomus ex evidenteribus principiis asserta sua legitime demonstrat, tantum abest, ut contradictionem aliquam Scripturæ metuere opus habeat, ut potius certus esse possit, omne illud, quod ipsi adversatur non posse esse sensum Spiritus S. in Scriptura loquentis, licet ita forte primo intuitu videatur. Idonea itaque tunc Scripturæ explicatio investiganda, & relicta verborum proprietate ad intiomorem, qui primo statim se non offert, penetrare oportet sensum, ut Scriptura Astronomia pulchre consentiat. Licet vero hæc verbi divini & thesium Astronomicarum necessaria conformitas ad maxime probabilia Astronomorum placita extendi nequeat; satis tamen & de iis constabit, quod saltem Scripturæ ita commode conciliari possint, ut hujus autoritati sacratissimæ nihil decedat. Euerunt, nonnulli ex quorum sententia tantum abest, ut Scriptura receptis ob probabilia argumenta Astronomorum hypothesibus contradiccat, ut potius eas confirmet, cum a litera recedendum esse putent, si illæ non admittantur. Veruntamen negari vix potest, hujus sententia Patronos scripturam variis artibus ad suam opinionem detorque-re, ob quas in gravissimam nonnullorum reprehensionem incurruunt, quare & nos iisdem minime adstipulamur; largimur potius lubenter, ipsam literam Scripturæ Astronomis adverfari, si tantum sensum ejus iisdem esse contrarium non concedatur; adeoque alia prorsus via hic incedendum judicamus. Observamus nimirum, quod optimi Ecclesiæ nostræ Theologi & Philologi non dissentunt, Scripturam res naturales, non ut ab intellectu percipiuntur, sed ut sensibus nostris representantur, ut sunt *Phaenomena* non *ad eam* sive nomina-re & describere; idque juxta *Glossum* per metonymiam adjuncti, qua adjuncta rei apparentia pro ipsa re ponitur. Ita c. g. Extremitas cœlorum dicitur pro terra longinquæ Es. 13. v. 5. Deut. 4. v. 32. c. 30. v. 4. &c. quia cœlum non sphæricum, sed hemisphæricum appetet, quasi extremitates ejus extremis Orbis terrestris finibus innitantur. Iosua sermone ad solem & lunam directo, Sol, inquit, subsi-

๙๙ }

ste בְּגַבְעָן & luna אַלְמָן Jof. 10. v. 12. ubi manifestum est,  
quomodounque præfixum ב explicetur, sive per in, sive super, sive  
contra, ut alii volunt, solem tunc & lunam versus eam plagam appa-  
ruisse, in qua videbatur ipsi Gibeon & Ajalon. Unde sol substitut  
בְּגַבְעָן & luna אַלְמָן non nisi apparenter, respectu nempe  
Iosuæ, qui alium stationi luminarium locum assignasset, si alibi fuis-  
set. Ps. 19 v. 7. exitus tribuitur soli a fine cœlorum, ubi per hunc  
Horizon intelligitur, qui cœlum non nisi apparenter terminat, nec  
exitus alias intelligi potest, quam apparens, quia eo tempore, quo  
nobis sol oritur, alius dudum ortus in medio cœlo versatur. Act. 27.  
v. 27. circa medium noctis putasse dicuntur nautæ προσέργειν ταῦτα οὐ-  
τοῖς χάρην, ubi accessus regionis apparens indigitatur, quia navigan-  
tibus litora moveri, & loca remotiora accedere videntur. Novimus  
quidem, quæ ad hæc & similia Scripturæ loca respondere soleant, quæ  
fecus sentiunt, sed contorta ea sunt omnia, & Scriptura vindicibus  
parum digna; saltem non probabiliora iis, quæ pro Scripturæ litera  
copernizante solent affterri. Quod si autem hujusmodi locutiones  
Optica in Scriptura admittuntur; nulla amplius in concilianda ea cum  
Astronomorum assertionibus difficultates supersunt. Quando nimi-  
rum theses Astronomicæ maxime probabiles Scripturæ contradicere  
videntur, dicendum solummodo, Scripturæ literam rei apparentiam  
exprimere, Astronomum rem ipsam, adeoque mirum non esse, si illa  
huic contradicere videatur, quia res sepe numero aliter se habent,  
quam quidem apparent; interim nullam veram esse contradictionem,  
quia ad sensum erucendum literæ Scripturæ non inhærendum, & ver-  
ba ejus per metonymiam explicanda, ut per apparentiam istam, id, cum  
quo apparentia conjuncta intelligatur. e.g. Astronomus dicit solem in  
medio fere sui systematis Planetarii quiescere, Scriptura eidem cur-  
sum adscribit: si autem cursus metonymice mutatum solummodo si-  
cum indicat, nulla est contradictione, siquidem mutare situm respectu  
alterius potest, quod tamen ipsum immotum manet. Astronomus  
stationem soli ordinarie, scriptor sacer extraordinarie tribuit: si au-  
tem per extraordinariam stationem situs extraordinaria ratione non  
mutatus tropice intelligitur, alter alteri non contradicit; cum possi-  
ble sit, aliquid esse immotum, quod tamen, cum situm suum ordi-  
narie respectu alterius, quod movetur, semper mutat, non nisi extra-  
A 2 ordi-

ordinarie in situ eodem persistit. Astronomus terram circa axem volvi, & motu isto vertiginis unam ejus partem post aliam soli obverti, iterumque subduci docet; scriptura solem oriri & occidere indicat si autem ortus solis per apparitionem solis in Horizonte ante latentis, occasus solis per occultationem solis in Horizonte ante conspicui tropice explicatur; manifestus utriusque consensus omnino intelligitur. Hac ratione scripturæ nullos errores implicant, qui vel maxime Astronomorum thesibus calculum addunt, & verissima dicunt omnia, quæ Scriptura etiam in rebus Astronomicis pronunciat. Ita e. g. verissimum judicant, quod Scriptura dicit, solem currere, quia verissimum est, solem situm suum respectu terricolarum continuo mutare, verissimum dicunt, solem per miraculum stetisse, quia verissimum est, eundem non nisi miraculose in eodem situ permanisse. Verissimum dicunt, solem oriri & occidere, quia verissimum est, solem, quando per aliquot horas latuit, in Horizonte ortivo iterum videri, & quando aliquandiu conspicuus fuit, in Horizonte occiduo occultari Rationem quoq; satisprobabilem adferre licet, quare Spiritus S. commodissime hic tropice loqui potuerit, quia nimurum ita salva sua veritate communi hominum sermonie uti potuit, quem citra necessitatem nemo facile immutabit. Ipsi Astronomi res Astronomicas ex professo tradentes eodem utuntur, quando Planetas stare, & retrocedere, solem oriri & occidere dicunt, quando solstitia, solis conversiones, luminarium conjunctio-nes &c. nuncupant: longe commodius itaque Spiritus S. de rebus Astronomicis sermonem faciens, vulgari loquendi consuetudini se accommodavit, qui longe sublimiora docens eas saltem obiter, & aliud agendo attigit. Sed objiciunt, qui secus sentiunt, communem canonem Exegetarum, a litera non esse recedendum, nisi summa id efflagitet necessitas: unde propter probabiles tantum, quas Astronomi adserunt rationes, tropos non esse admittendos judicant. Veruntamen canon ille stricte acceptus tantum valet de rebus supernaturalibus, ubi propter argumenta probabilia, quæcumque etiam sint, licet & demonstrationis speciem mentiantur tropos effingere utique non licet, quia homo ψυχικός & ἔχειται, quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. 2. v. 14. adeo; Scriptura ipsa docet, ea esse adversa argumentis etiam summe probabilibus ex natura petitis; at vero in rebus natura-  
libus

Hibus propter argumenta etiam quæ non sunt demonstrativa a Scriptu-  
 ræ litera jure recessimus, si tantum talia sunt, qualia Astronomorum  
 esse eruditæ non amplius dubitant, que nimur maxima probabilitate  
 se se commendant. Ita e. g. Herodem eo momento, quo Christus di-  
 xit: Herodes est vulpes, in bestiam istiusmodi quadrupedem non  
 fuisse mutatum, nullo modo demonstrative evincitur, quia tamen id  
 maxime probabile, nemo nisi fanatico spiritu abreptus in explicandis  
 Christi verbis a litera recedere veretur. Probabiles rationes quæ ad  
 demonstrationem proxime accedunt, tanta pollent efficacia, ut nos  
 fere invitos ad assensum quodammodo cogant. Sic corpora non esse  
 mera phænomena mentis demonstrari nullo modo ex natura potest;  
 sed tantum probabiliter probari: neminem tamen unquam vixisse cre-  
 dimus, qui corpora extra ipsius mentem dari, etiam invitus non sta-  
 tuisset. Talia itaque maxime probabilia cum sint Astronomorum  
 argumenta, quæ recte percepta assensum fere extorquent, satius certe  
 erit propter ea tropos in Scriptura admittere, quam assertionibus  
 Astronomorum approbatib[us] ipsam Scripturā veritatem aut. *Geor[gius] Ius-  
 tianus*, si non omnino, tamen quoad res naturales in dubium vocare.  
 Dum autem hac ratione saniorem quidem Astronomiam defendimus,  
 eamque ab omni impietatis suspicione liberamus; minime tamen ap-  
 probamus hypotheses quascumque arbitrarías, occasione tantum thes-  
 um Astronomicarum pro lubitu effectis & in puriorē Theologiam  
 injurias, quæ ipsos fidei articulos prætextis rationib[us] Astronomicis  
 audacter vellicandi occasionem præbent. Unde cum hujusmo-  
 di commentis omnino refertum sit *autoris eiusdem anonymi*  
**SYSTEMA THEOLOGIÆ ASTRONOMICÆ a G. G.**  
*Leibnitio in Essais de Theodicée P. I. §. 18. pag. 125. segg.* exhibitum,  
 quod latine redditum & notis quibusdam illustratum lectori impræ-  
 sentiarum communicamus; æquum sane existimavimus omnem in id  
 impendere operam, ut quæ in eodem pium animum merito offendant,  
 in adjectis animadversionibus luculenter ostendamus.

¶ 80

---

## SYSTEMATIS THEOLOGIÆ ASTRONOMICÆ LEIBNITIANA DESCRIPTIO.

**E**st quidam ingenii laude præstantissimus, (1) qui principium meum de Harmonia (2) ad hypotheses usque arbitriarias, quas neutiquam approbo, persecutus

(1) Nomen Autoris nec indicat *Leibnitius*, nec detegunt *Colletores Adolorum Eruditorum*, quando ad A. 1711 pag. 167. *In rectione tentaminis Theodiceæ Theologiæ Astronomicæ* mentionem faciunt; quantum autem nobis constat totum illud sistema meditationibus ipsius *Leibnitii* tribuendum, in gratiam Orientarum propositum, quibus Vir Illustris saltem præ Manichæis favit, ut ipse diserte fatetur in *Responsione Belio data de harmonia probabilitate in Histoire Critique de la Republique des Lettres T. XI. Art 4 pag. 107*. Monet interim aperte, quando sententiam suam de eodem exponit, quod satis quidem jucundum sit, & autoris ingenium commendet, ipse vero non omnia approbat, quæ in illo continentur. Imprimis defectum revelationis in ejusmodi rebus, quæ circa eandem sciri non possunt, autori exprobrat in-

*Theod. pag. 123.* Unde si ipse ejus autor est, non ex animi sententia, sed ut ingeniosum magis quam verum sistema suum proposuit. Neque tamen propterea inanem in refutanda hac Theologia Astronomica laborem capimus, licet ab ipso etiam inventore non fuerit approbata. Quamvis namque hac ratione animadversiones nostræ autoris mentem non feriant; feriunt tamen omnes, qui forte ex pruriu novitatis ejus suppositiones avide arripiunt, siquidem novaturientium quorundam animos nova hæc doctrina ita occupare potest, ut majorem ei, quam autor ipse, fidem adhibeant. Et si etiam hoc metuendum non sit; offendere tamen sufficiet, quam facile etiam viri ingeniosissimi in errores incidere possint, si vanæ conjectandi libidini in rebus Theologicis indulgeant.

(2) *De Harmonia Mundi non antiquiorç modo Philosophi verba*

ba faciunt, sed & recentiores multa operose commentantur. Illorum antiquissimus fuit Pythagoras fama gloriam imprimis confecutus, quod naturam universi musicis rationibus fabricatam suisse docuit, ut asserit Atheneus lib. 14 f. m. 632. Post quem Platon & Archytæ eandem sententiam tribuit Plutarchus in fine Opusculi de Musica T 2 Op. fol. 117. nec dissentit Philo Judæus in lib. de mundi Opificio pag. 17. 21 &c. Ptolemaeus lib. 3. Harmonicorum cap. 8. seqq. aspectuum celestium configurationes, corporumque mundi motus ad Musica leges exigit. Ex recentioribus mundi harmonici hypothesin ulterius prosecuti sunt Job, Picus Mirandula, Franciscus Georgius Veneetus, Robertus Iludius &c. quibus omnibus palmarum facile præripit Job Keplerus, qui ut alibi, ita imprimis in libris 5. Harmonices mundi doctrinam istam nova quadam ratione explicare conatus est. Verum si dicendum, quod res est, magis ingeniosa sunt illa, quæ autores isti proferunt, quam vera, nec solidis argumentis nituntur, quod jam olim Aristoteles de Pythagoræorum sententia pronunciat lib. 2. de caelo cap. 9. Conf. Job. Baptista Riccius in Alm. novo lib. 9. scilicet 5. cap. 8. seqq. Si tamen harmoniam

quandam in hoc universo esse dicendum est; synecdochice ea explicanda, & intelligenda per eam miranda omnium mundi partium dispositio, proportionatissima unius ad aliam intercapitulo, & magnitudinis uniuscujusque ad finem suum obtinendum appropriata exactissima analogia, quæ singulæ mundi partes ita sibi in vicem correspondent, ut mutata una merito harmonia totius pereat, ceu de corporum celestium harmonico concentu egregie loquitur Athanasius Kircherus lib. 10. Musurgia pag. 381. vel generalius adhuc consistit eam in verum omnium exæcta conformitate, & convenientia perfectissima rerum singularium cum universis, digna sapientia infinita summi Artificis, qui sine dubio mundum optimum & perfectissimum condidit. Et hæc estilla harmonia Leibnitii h. l. intelligenda, quando principiū harmonici injicitur mentio. Si quidem quod hic dicitur principe de la harmonie alibi vocatur hypothese des acords Vid. Journal des savans A 1695 p. m. 459 item principe de la convenience in Theodic. p. m. 186. Quantum nimurum exrr. cit. p. m. 117. 172. 175. 187. &c. it. Causa Dei afferita per justitiam ejus §. 21. 41. 46. &c. constat, Leibnitiana sententia hæc est,

secutus Theologiam fere Astronomicam (3) finxit. Existimat nimirum perversitatem præsentem mundi hujus inferioris cœpisse, postquam Angelus Præfes globi terrestris (4)  
cum

est: Deus ab a tercio omnia possibilia sibi repræsentavit, ubi tunc mundum creatus salva sua sapientia & bonitate non potuit non optimæ seriei existentiam addere, ut fieret mundus optimus, qui actu existit. Unde cum melior possibilium series, ex majori eorundem convenientia & conformitate intelligatur; Deus ejusmodi mundum creasse censendus est, in quo singula cum universis exactissime convenient, & quidem non nostro judicio, qui sape ejusmodi convenientiam non animadvertis, quia singula cum singulis tantum comparamus; sed judicio Dei, cuius intellectus infinitus nexus singulorum cum universo distinctissime percipit. Hanc convenientiam universalem Leibnitius appellat harmoniam universalem, quæ, cum ultimam ratio sit, quare hæc & non alia potius possibilium series actu existat, merito principium audit.

(3) Autoris Anonymi sistema, Theologia fere Astronomica systema dicere placet *Leibnitio*, quia paradoxas aliquot assertio-

nes, v. c. stellas fixas esse soles, terram esse Planetam, Planetam esse satellitem Solis &c. affumit, quibus præter Astronomia peritos nemo fere fidem adhibet. Si tamen dicendum, quod res est, cum præfens sistema errores in scriptaram injurios contineat, qui ex hypothesibus Astronomicis minime fluunt, sed adjectis arbitriis, quas autor pro lubitu finxit, innituntur, melius sane fuisse a denominatione ista abstinere, quæ innocent Astronomia impietatis suspicionem importat. Rectius autem tractatus *Wilhelmi Derham* in Anglia nuperime editus *Astro-Theology* inscribitur, in quo ex admirando mundi systemate & corporum totalium dispositione ab Astronomis explicata, ipsa Dei existentia, sapientia & bonitas imo ipsa erga Deum officia deducuntur.

(4) Qualem Angelum Præfendi globi terrestris autor indicet, ex perfecto ejus systemate facile patet. In Globo enim mundo, qui nunc terra vocatur, homines certo angelorum ordini successisse docet, adeoque sic ut

nunc

nunc homines terram incolunt, ita eandem olim cuiusdam angelici ordinis domicilium fuisse statuit, sicutque per angelum presidem globi terrestris Principem ordinis angelici globum terrestrem in habitantis intelligit. Nimirum juxta Bryanum Turnerum in Tentamine de primi peccati introitu, sive de lapsu angelorum & hominum pag. 17. & 19. Angeli in certos ordines distributi fuerunt, quorum quilibet peculiare habuit ὀντόγειον, assignatam stationem in Epistola Judæ v. 6. indicatam; penes prefectos autem archangelos praefidit in hoc universum Dominum sub uno Deo summipotente aristocratica fuit administratio. Ex hoc systemate Turniano dum quedam assumit autor, & ad suas hypotheses applicat, ὀντόγειον cuiusdam angelorum ordinis, ipsum etiam illum globum, qui nunc terra est fuisse singit, cuius praefectum archangelum Praesidem globi terrestris appellat. Dum autem hac ratione tellurem nostram angelorum quorundam sedem aliquando fuisse docet, suavibus sane delectatur somniis, & iubacées à μη σιωπεῖν. Ex natura enim quod asserit, stabilire nequit, cum ex ea nequidem existentiam angelorum certo demonstare liceat, & omnia argumenta

qua adferri solent infirmo tantum ostendit Scherzerus in Syb. L. de Ang. §. 2. Multo minus vero Scriptura auctori patrocinatur, quæ terram quidem filiis hominum datam asserit Ps. 115. v. 16. Conf. Gen. 1. v. 26. domicilium vero angelorum eandem fuisse nullibi docet. Nulla ergo prorsus ratione nititur paradoxa illa sententia, quam auctor proposuit, imo potius contrarium ejus probabili fatis ratione patet. Angelos enim Spiritus esse incorporeos & immateriales propter Ps. 104. v. 4. Ebr. 1. v. 14. omnino asseveramus. Si autem Spiritus sunt, corporeo non indigentes domicilio, si extensi non sunt, extensem etiam domicilium minime requirunt. Unde & eorum nonnulli, qui de domiciliis angelici conditione operose disputant, corporeum tamen illud esse determinare nolunt, ut cum aliis Francosurtenibus Gregorius Francus de Cœlo Beatorum pag. 38. & 43. Imo si vel maxime auctor noster angelos subtilissimis corporibus instructos censet, cuius sententia defensores antiquiores Dionys. Petavius Dogm. Theol. T. 3. lib. 1. de ang. cap. 2. recentiores Abrahamus Calovius T. 4. Syb. Arte de Ang. pag. 35. notavit, quibus nostris temporibus Petrus

cum hic adhuc Sole esset, (5) h. c. stella fixa propria luce ful-

*Poiretus in Oeconomie divine lib. 4. cap. 11. n. 4. T. 2. pag. 250. & William Coward in tract. The justification &c. Londini A. 1706. in oī. edito pag. 103 seqq. ipse quoque Leibnizius in Theod. P. 2. S. 124. adeoque & sine dubio autor accessit; omnino tamen concedet, & concedere cogitur, quod legio integra angelorum in uno homine esse potuerit, id quod Scriptura expresse docet Marc. 5. v. 9. & 15. Unde & tunc vero simile non videtur, amplissimum ejusmodi mundi globum, qualis terra est, conditum olim fuisse, ut ejusmodi corpusculorum qualium aliquot millia in uno homine esse possunt, domicilium fieret. Hoc enim æque inconveniens videtur, ac si quis pro animalibus, non nisi oculo armato apparentibus integrum urbem extiteret.*

(5) *Guilielmus Whistonus in Theoria telluris nova lib. 2. hyp. 1. & Dethlevus Cluverus in Geologia cap. 1. terram olim Cometam fuisse contendunt, & in Historia creationis Mosaica tantum describi dicunt, quomodo Cometa per certos materiae motus ejusmodi Planeta factus sit, qualis nunc exi-*

st. Hos merito refutant uno ore Theologi & nostri, & alii, quia a proprio & literali sensu in historia creationis discedunt, cum tamen creatio inter mysteria referatur, quæ fide apprehendimus, Ebr. 11. v. 3. in quibus propter alias rationes probabiles scripturæ literam minime deserere licet, ut supra jam observavimus. Longe vero manifestius narracioni Creationis Mosaicae contradicit autor, quando ex fictione *Cartesii in Princip. Phil. Part. 4. n. 2.* aut occasione forte eorum, quæ *Petrus Poiretus* l. c. de mundo angelico luminosissimo, post lapsum angelorum in chaos tenebrosum converso docet, terram solem olim fuisse, propria luce fulgentem afferit. Si enim Terra unquam Sol fuisse, vel statim a principio existentia sua lucida vel opaca quidem creata, & posteaflammam concipiens in solem conversa fuisse; sed neutrum salva divina Mosis autoritate diei potest. In principio creavit Deus cælum & terram. Terravero erat ruda & indigesta moles, atque cælico abyso imminebat, dicit Moses Gen. 1. v. 1. 2. Vociς בָּרָא שִׁיחַת va-vix quidem inveniantur explicaciones,

tiones, de quibus videre licet  
Thomam Gatakerum in Cinno sive  
adversarius miscellaneis lib. 2. cap. 1.  
Operum Crit. pag. 241. seqq. verum  
difficultates hic non nulli singunt  
sine necessitate. **חַשְׁבָּנָה** enim  
principium denotare notum est.  
Jam autem principium necessario  
relationem habet ad aliud, cuius  
principium est. Unde cum hic  
nihil aliud exprimatur, cuius re-  
spectu principium vocetur, in-  
telligendum de principio primo,  
de principio **κατ' ἔξοχην** tali, de  
principio rerum omnium crea-  
rum, quæ unquam principium ha-  
buerunt. Jam ab hoc primo  
principio docet Moses rudem &  
indigentiam terram fuisse, caligine  
coopertam, quæ abyssum seu  
aqua terram obtegentes quasi re-  
plevit, de quibus tenebris non  
nulla notata digna adfert, & quod  
ipsiis etiam gentilibus per traditio-  
nem fuerint notæ observat. **Guilielmus van der Muelen** in Differ-  
entiationibus Phil. de die mundi &  
rerum omnium natali Diff. 1. pag.  
50. seqq. Minime ergo tellus no-  
stra ab initio existentia sua sol  
fuit, qui propria luce fulsit. Juxta  
Mosen condita prius terra est, &  
tunc denum lux creata Gen. 1. v.  
1. 2. 3. Si itaque Tellus ab initio  
statim sol fuisset, & propriam  
habuisset lucem, lux fuisset ante

lucem, quod **ἄτοπον**. Neque  
vero etiam dici potest, terræ glo-  
bum quidem initio fuisse corpus  
opacum & tenebrosum cum lux  
nondum esset, postea autem so-  
lem factam & flammarum concep-  
se, eaque extincta demum opa-  
cam rursus faciem induisse. Iter-  
um enim contradicit Moses,  
quando docet DEum statim cum  
lucem creasset primo nempe crea-  
tionis die, eandem a tenebris di-  
stinxisse Gen. 1. v. 4 h. e per con-  
stitutas tenebrarum & lucis in  
diebus & noctibus vicissitudines  
quotidianas effecisse, ut hæc ab  
illis distingui posset, quemadmo-  
dum veriu statim sequente 5. se  
ipsum explicat. Conf. Clericus ad  
b. t. Patet nimurum ex hac Mosis  
relatione, a primo statim lucis  
principio, talem terra lucem suis-  
se concessam, quæ ortu & occasu  
suo diem faceret & noctem, id  
quod initio lux illa primigenia,  
primo die condita, postea Sol  
ipse præstitit, consequenter tel-  
lus sole esse non potuit propria lu-  
ce undique fulgens, quippe in  
quo lucis & tenebrarum, dierum  
& noctium nulla datur vicissitu-  
do. **Leibnizius** autoris nostri sen-  
tentiani suam facit in Theod. P. 3.  
9. 244. quia incendii, quo tellu-  
rem totam olim aruisse statuit,  
quædam indicia adhuc hodie re-  
periri

periri putat. Inter ea refert imprimis metalla & mineralia in visceribus lapidum producta, quoniam similia apparent iis, quæ ex nostris fornacibus proveniunt, quare & lapides istos scorias esse autumat, post magnam in incendio telluris fusionem relictas. Mare quoque ipsum censet ortum, dum particulae humidae ab igne ardentis terra in aërem elevate igne extincto iterum deciderunt, inque ingentem cavitatem collectæ sunt, quæ tunc partes salinas resolutas ex cineribus imbibitis ipsi videntur, ut hinc mare falsum fieret. Il semble, inquit, que ce globe a été un jour en feu, & que les rochers, qui sont la base de cette écorce de la terre sont des scories restées d'une grande fusion, on trouve dans leurs entrailles des productions de metaux, & de mineraux, qui ressemblent fort à celles, qui viennent de nos fourneaux: & la mer toute entière pourroit être une espece d'Oleum per deliquium, comme l'huile de Tartre se fait dans un lieu humide. Car lorsque la surface de la terre s'étoit refroidie apres le grand incendie; l'humidité, que le feu avoit poussée dans l'air, est retombée sur la terre, en a lavé la surface, & a dissout & imbibé le sels fixe resté dans les cen-

dres, & a rempli enfin cette grande cavité de la surface de notre globe pour faire l'Ocean plein d'une eau salée. Veruntamen quod ad metalla attinet; notum est per experientiam, quod in iisdem terræ glebis, ex quibus summa diligentia extractum est, quicquid metalli inerat, temporis progressu novus ejus fiat proventus. Observari illud in minera Ferri Insula Ilvae, in mineris quam plurimis Germania, in terra, quæ e fodiis Peruvia eruitur, & Boylio teste in stanni & plumbi fodiinis anglis, annotat *Franciscus Baylius Inst. Phys. T. 2. pag. 359.* Si autem hac ratione metalla quotidie generantur, causa productionis eorum alia erit, quam incendium telluris, & recte fortassis eam attingit *Cartesius Principiorum Philosophiae Part. 4. num. 63.* conuentor metalla de incendio telluris testari minime possunt. Mineralia alia quotidie generari notius est. Unde de iis etiam simile esto Judicium. Neque vero mare ipsum, & quæ in primis umeri videtur ejus falso sed incendium terræ satis indicat. Quid enim opus est ortum maris ex causis naturalibus explicare, cum Moses eundem omnipotenti dixito divino acceptum ferat. Et quid opus est maris falso sedinem ex cine-

fulgens (6) cum aliis quibusdam inferioribus angelis sui  
B 3 ordinis

cineribus telluris derlare, cum etiam rationi consentaneum sit dicere, mari ab ipso principio eam inditam esse. Quia enim mare est unum ex magnis corporibus, quod maxime conduit ad eos fines, quorum gratia haec mundi regio est condita, decuit DEum ab ipso principio donasse illud corpus istis proprietatibus, quarum statim usus debuit esse insignis, ut docet laudatus Baylius l.c. pag. 440. Provocat etiam Leibnitius l.c. 6. sequente 245. ad testimonium Mosis Gen. 1. v. 4. & magnum terræ incendium intuiti putat, quando Moses DEum lucem a tenebris distinxisse scribit. At vero locum istum pro ipso facere non videmus; nos potius eundem evidenter contradicere supra ostendimus. Cæterum succurrere videtur auctori Henricus Morus in Defens. Cabballæ Philos. T. 2. Opp. pag. 529. quando Planetas, ex quorum numero etiam terra est, vocem כוכבים appellari dicit; vocem כוכב autem a כב ultio & כב extinctione nominibus כוהה & יסוד secundum certam & irreprehensibilem analogiam factis derivari censet: unde terram uti & ali-

os Planetas talis naturæ esse colligit, ac si ardentes aliquando splendentesque soles fuissent; luce vero & calore extinctis opaci postea planetæ facti essent. Sed notum est, quantum argumentis ab etymologia petitis tribendum sit, in primis quando dubii adhuc hareremus, an originem vocis recte detegere nobis licet. Stellaræ quoq; fixæ appellantur כוכבים Gen. 15. v. 5. Pl. 136. v. 9. & alibi, quibus tamen ejusmodi ultio & extincio tribui nequit, qualem Morus in Planetis contigisse finit. Extingui quidem videntur & accendi, quando apparent & disparent denuo; sed hac ratione etiam Planetæ ab extincione & extinctione dici possunt, licet nunquam soles fuerint.

(6) Hæc dicuntur ex mente Astronomorum, qui ex vivida luce stellarum fixarum, Saturno remotiorum atque minorum, clarissim tam fulgentium proprium earundem lumen colligunt. Unde fixas totidem soles esse inferunt, & omne discrimen, quod inter solem nostrum & stellas fixas observatur, in diversitatem distantiarum conferunt.

ordinis peccavit (7), forte intempestive insurgendo contra angelum aliquem solis longe majoris (8): tunc autem ob  
harmon-

(7) Quærere solent scholasti-  
ci, an unus quis angelus inter  
eos qui defecerunt rebellionis  
fuerit Dux & Princeps, an vero  
omnes simul in eandem impieta-  
tem conspiraverint. Verum cum  
hodie inter dæmones ordo sit, ut  
unus eorum Princeps existat  
Matth. 25. v. 41. Matth. 12. v.  
24. Matth. 9. v. 34. Luc. 11. v.  
15. &c. probabile sane est, quod  
auter afferit, angelum quandam  
præminuisse, qui cum inferiori-  
bus sui ordinis peccavit. Acce-  
dit, quod Christus ipse de ange-  
lorum lapsu verba faciens, tan-  
quam de uno Diabolo cœu in-  
signitatim improbitatis angelo lo-  
quatur Joh. 8. v. 44.

(8) Quasdam hypotheses Tur-  
nerianas de statu angelorum ante  
lapsum ab autore nostro approba-  
ri, & saltem specialius determi-  
nari supra observavimus; In ex-  
plicando autem ipso angelorum  
lapsu dissentit autor a Turnero in  
eo, quod hic rebellionis Princi-  
pem alium archangelum parem,  
ille eundem Luciferum alium ma-  
jorem ferre non posuisse afferat,  
Verum, quæ *Zacharias Grapius in  
Theol. R. C. continuata Cap. 3. Qu*

*s. Turnero objicit, defectum  
nempe probationis ex Scriptura in  
eiusmodi rebus, quæ citra pecu-  
liarem revelationem sciri non  
possunt, & hypothecum quarun-  
dam infirmitatem imo fallitatem,  
eadem etiam autori nostro jure  
opponere possumus, quando an-  
gelum Praesidem Globi terrestris,  
contra angelum praesidem solis  
majoris nostri fortassis infurrexis-  
se, & eo ipso lapsum esse statuit.  
Nescit enim hoc ipsum Scriptura  
S., & hypotheses, quibus nova  
illa sententia innititur, ita se ha-  
bent, ut eas nullatenus approba-  
re possimus. Supponit angelos  
quosdam cum suo duce terram  
incoluisse, id quod jam supra an-  
not. 4. evertimus, supponit simi-  
liter alios angelos cum suo Praeside  
in sole nostro habitare, quod iis-  
dem argumentis confutari potest,  
supponit angelos cecidisse, cum  
terra non dum ejusmodi terra es-  
set, qualis nunc est, quod ex  
Gen. 1. v. ult. clare refutatur.  
Conf Ann. 19. Scriptura tantum  
in genere notat, angelos quos-  
dam in veritate non persistisse,  
Joh. 8. v. 44. & ἀρχὴν, seu san-  
ctam originem non tenuisse, do-  
mici-*

harmoniam præstabilitam Regni naturæ & gratiæ (9); con-  
sequen-

miciliūmque suum reliquisse, in  
Ep. Judæ v. 6. reliqua omnia in-  
certa sunt.

(9) Sub Harmonia universalis  
etiam comprehendi Harmoniam  
Regni naturæ & gratiæ præstabi-  
litam, asserit Leibnitius in Theod.  
§. 62. in Causa Dei asserta per ju-  
stitiam ejus §. 46. Et alibi, nec  
obscurum esse potest, quid per  
eam intelligat, cuu similem har-  
moniam quam inter animam &  
corpus præstabilitam censem, clare  
satis explicuerit, ex qua etiam de  
harmonia regni naturæ & gratiæ  
judicium ferre licet. Exigitur  
nimis DÆum corpus organi-  
cum ita condidisse, ut juxta certas  
leges machinæ corporeæ diversi-  
mode moveatur, alias autem leges  
aceperisse animam, juxta quas va-  
riæ præsentationes in ea sibi invi-  
cem succedant, & idea alia aliam  
sequatur: dum autem hac ratione  
quælibet substantia proprias suas  
sequitur leges, DÆum omnia ita  
præstabilitissime docet, ut motus  
corporis organici cum perceptio-  
nibus animæ exquisite concor-  
dent, ac si mutuus utriusque esset  
influxus, quem vulgus Philoso-  
phorum, ut loquuntur, defendere  
solet. Proposuit hanc sententi-  
am in Journal des Savans ad A.

1695. pag. 455. seq. & cum viri  
celeberrimi Foucherius, Arnaldus  
Lamius, Belius in primis (quos  
nominat in Theod. Disc. Prælim.  
§. 26.) varia ipsi dubia movissent,  
mentem suam uberiori exposuit in  
*Histoire des Ouvrages des savans*  
ad A. 1696. pag. 274. seqq. Et in  
*Histoire Critique de la Republique*  
*des lettres T. XI. A. 1716. edito Art.*  
4. pag. 78. Conf. erudita *Dissert.*  
*M. Job. Henrici Kreuschneri de ori-*  
*gine idearum §. 32. seqq.* Simili  
ergo ratione dum Harmoniam  
Regni naturæ & gratiæ præstabi-  
litam nominat Leibnitius, eo ipso  
indicit, in regno naturæ secun-  
dum naturæ leges a Deo statutas,  
in regno gratiæ secundum leges  
& ordinem gratiæ omnia fieri;  
DÆum autem singula ita præstabi-  
litissime, ut dum in utroque regno,  
secundum proprias leges omnia  
fiant, gratiæ tamen regnum, &  
regnum naturæ mire consipiet,  
ac si alterum ab altero dependeat.  
Eadem ferme innuere videtur  
*Alembanchius in Traité de la Na-*  
*ture & de la grace*, qui in primis  
*Discursu 2 P. 2. §. 63.* de poena  
Iudeis ob cædem Messia inflicta  
ita differit, ut egregium Leibnitio  
pro illustranda ejus sententia  
exemplum suppedet.

sequenter per causas, quæ tunc contigerunt naturales globum nostrum maculis obductum opacum factum, locoque suo pulsum esse, ut stella fieret erratica, seu planeta, h. e. satelles alius solis, istius forte, cuius prærogativam ejus Angelus agnoscere noluit; (10) inque eo consistere, quod dici-

(10) Harmoniam præstabiliteram regni naturæ & gratiæ postulasse putat autor, ut eo ipso tempore, quo angeli terrestris globum adhuc sol esset, incolæ, gratia data abusi ex statu gratiæ ceciderunt; Sol ipsorum per causas naturales conglomeratis quam plurimis maculis crux obducetur, & opacus fieret, ex sede sua, in qua fixus haberat, pelleretur, & cum reliquis Planetis circa aliud solem errare inciperet; sicut lapsi angelorum ex statu gratiæ, debita poena in regno naturæ responderet. Hic assentimur auctori, quando angelos antelapsum ad regnum gratiæ in sensu Leibnitiano reserter, atque adeo per lapsum ex statu gratiæ cecidisse docet. Utique enim gratia erat, & indebitus Dei favor, quod DEus per certa media æternam iis beatitudinem dare constituerit. Utique gratiæ divinæ adscribenda erant eximis quædam dona & insignes perfectiones; in primis quatenus ipsis ut media data erant

ad felicitatem supernaturalem & lumen gloriae consequendum. Nec deerat illis gratia actualis exercitans, adjuvans, cooperans, qua inveritate perfistebant, ut docent Theologi nostri. Quæ vero auctor de poena angelorum lapsum in regno naturæ secuta disslerit, ea ut vana & fundamento solidio destituta, imo falsa omnino repudiamus. Ita enim, quæ Moses de telluris nostra formatione docet, ad poenam angelorum jam tunc lapsorum & perveritatem mundi hujus inferioris reserter, cum tamen imminentे jam fine hexaëmeri omnes creature Dei valde bone adhuc essent. Gen. 1. v. ult. Quod etiam supponit terram solem olim fuisse, & angelorum domicilium, supra jam clare satis refutavimus. Unde quæ de domiciliis hujus depravatione in poenam Angelorum lapsorum facta docet, merito absque prolixiore refutatione rejicimus. Ceterum non disquirimus operose, an per causas naturales contextis nimis

dicitur Luciferum cecidisse. (11) Jam opinatur Principem  
C caco-

nimirum quam plurimis maculis densioribus, ex quodam sole corpus aliquod opacum, qualis terra est, fieri potuerit. Confirmari enim illud quodammodo videtur ex eo, quod ipsa Solis nostri maculae conglomeratae cum pene totum quandoque cooperierint, ut per aliquot annos integros debile lumen effuderit, ceu post alios observat *Jacobus Rohault in Tr. phys. P. 2. cap. 25. n. 14.* Præeuntem etiam autor habet *Cartesium in Princ. Phil. P. 4. n. 2.* qui simul processum, licet, ut ipse ait, per fictionem saltem quandam describit, quomodo initio macula exiguae & paucæ, deinde vero composto ex particulis post continuum earum dissolutionem residuis multo aëre & æthere plures semper atque densiores circaterra superficiem genitæ eam totam tandem contexerint & obtenebrant. Nec disputabimus de eo, an per causas naturales, Sol in centro vorticis sui ex hypothesi Cartesiana fixus, in Planetam, & satellitem aliud Solis degenerare queat, id quod iterum asserit *Cartesius l. c.* quando terra maculis obducta & aëre involuta vim vorticis terram continentis im-

minutam, sicutque hanc ipsam unam maculis & toto aëre ambiente, in aliud majorem vorticem, in cuius nempe centro noster Sol est, delapsam esse fingit. Non movebimus has controversias Physicas, & si de sola possibilitate quæstio est, quemlibet suo patimur abundare sensu. Nobis enim ostendisse sufficit, quod terra nunquam sol fuerit, unde simul ea omnia, qua de metamorphosi hujus solis proferuntur, sponte sua corruant.

(11) Alludit sine dubio autor ad Es. 14. v. 12. Quomodo cecidisti de celo Lucifer? Quamvis enim dictum istud de Rege Babylonio agere ex contextu constet, explicatur tamen a multis veterum de diaboli lapsu, aut saltem ad eundem applicatur, a *Tertulliano lib. 5. adversus Marcionem cap. 11. Origene lib. 1. τοεὶ ἀρχὴν cap. 5. Gregorio Nazianzeno Orat. 1. de pace Vol. 1 Op. pag. 198. Eusebio in dem. Evang. lib. 4. cap. 9. Ambroſii in Ps. 118. serm. 3. Augustino lib. 11 de Genesi ad literam cap. 24. Gregorio M. lib. 4. Epistolarum Epif. 34 Ruperto lib. 1. de Viā Verbi Dī cap. 10. &c. Eorum vestigia premit Leo Caſſius*

cacodæmonum, qui in Scriptura vocatur Princeps, imo DEus hujus mundi, cum angelis sui ordinis invidisse (12) homini super terra ambulanti, quem DEus forte ad acceptum lapsis angelis damnum sarcinandum creaverat; (13) adeo-

*frius Comm. ad b. l. & Jof. Anton. Gonzalez de Salas dissert. de duplicitate pag. 52. nec dissentit Job. Coccejus ad b. l. T. 2. Op. pag. 288. &c.*

(12) De invidia Diaboli adversus hominem testatur autor libri sapientiae cap. 2. v. 24. Unde non modo veteres quidam primum Cacodæmonum peccatum in invidia ita collocant, quos citat *Dionys. Petav. Dogm. Theol. T. 3 lib. 3. de Ang. c. 2. n 8 seqq.* Sed & recentiores nonnulli eandem fovent sententiam, inter quos in primis *Claudius in Oeuvres posthum. T. 4. tratt. 3. pag. 210. seqq.* Diabolum homini dominium in ceteras creaturas præ angelis concessum invidisse & ita cecidisse docet. At vero autor libri sapientiae per Satanam invidiam mortem hominis; consequenter Adami lapsum non aetem ipsum primum angelorum peccatum in mundum introivisse assertur. Probabilius nobis utique videtur, quod autor noster statuit, Diabolum alio prius crimine lapsum,

cum ita miser esset, hominem autem felicem videret, homini facilitatem invidisse, & sic in hoc statu misero invidia commotum ejus lapsum omnibus viribus intendisse. Invidia enim tristitia quedam species est, qua nempe quis ob bona, quæ aliis observant, afficitur, adeoque ad eam miseri & tristes magis proni sunt, quam lati & felices, id quod quotidiana etiam experientia confirmat.

(13) Hominem in angelorum lapsorum locum fuisse conditum *ἀπεγνωσθεν* assertur, quæ creationem primi hominis ita commemorat, ut nullam ibi angelorum mentionem injiciat. Supponit etiam autoris sententia, diabolum ante conditum hominem cecidisse, id quod Scriptura contrariatur, quando circa finem hexaëmeri, cum homo jam creatus esset, omnes creaturas valde adhuc bonas fuisse docet. Gen. 1. v. ult. Si quis Jacobo Altingio ad stipulari velit, qui hominem, consequenter & angelos ante hominem

adeoque omnem in id impendisse operam , ut cum criminum suorum confortem , miseriæque participem redderet . Hinc venit JESus Christus ad salvandum homines . Hic est æternus Dei filius , quatenus filius unicus : sed qui (secundum veteres quosdam Christianorum , & hypotheseos hujus autorem) induita statim a principio rerum natura excellentissima inter creaturas (14) , ad perficiendas om-

C 2

nes

nem lapsos , ante finem dici sexti occidisse operose probavit lib . i . de tempore instituti sabbathi cap . 7 . seqq . Op . T . 5 . pag . 10 . seqq . nos sane non refragamus . Tunc autem dicendum , quod conditio hominem die sexto DEus omnia adhuc bona fuisse viderit , & tunc demum ante finem ejusdem dici infelix lapsus tum angelorum , tum iporum hominum contigerit . Licet enim approbatio divina cum clausula diei sexti v . 3 r . conjugatur , non tamen propterea haec ita immediate cohaerent , ut nullo plane intersticio ab invicem sejungantur . Creatio maris & creatio scemini v . 27 . immediate connectuntur , cum tamen haec aliquot actibus posterior fuerit illa , ut bene observat Altingius i . c . pag . 19 . Ceterum non negamus , quosdam veteres auctori fa vere , dum angelorum lapsorum defectum , ne Dei civitas civium suorum numero fraudetur , ho-

mines electos supplere dicunt , ut Augustinus in Enchirid . cap . 29 . & lib . 22 . de Civit . Dei cap . i . Anselmus lib . i . Cur DEus homo cap . 18 . Isidorus lib . i . de summo bono cap . 12 . &c.

(14) Hæc est illa sententia , quam olim jam defendit Origenes lib . 2 . ὥστε ἀχῶν cap . 6 . T . 1 . in Job . p . 35 . T . 20 . in Job . p . 307 . &c . quando animam Christi cum verbo conjunctam ab initio creaturarum præxstitisse docet , antequam in corpus ex Maria natum illaberetur . Didicit autem eandem a Judæis , qui propterea colloquia fingunt inter DEum & Messia animam de redimendis hominibus creationis tempore habitum ut docet Johannes Hoornbrekius de convinc . Iudeis Lib 6 . cap 1 pag . 407 Recentius idem dogma defenderunt , Henricus Morus , Josephus Glazwil , Robertus Flaminius &c . nemotamen majori argumentorum apparatu instru-

instructus id ipsum afferuit, quam quidem *Eduardus Fowlerus in Dissertatione de Defense hominis Iesu Christi ex calis &c. super Job. 16. v. 28. anglice scripta* & in epitomen redacta in *Act. Erudit. suppl. T. 4. p. 17.* itemque in  *vindictis Wilhelmo Sherlockio oppositis* Anno 1706. itidem anglicano sermone scriptis. Veruntamen, licet utique fateamur, non omnia argumenta, qua pro contraria sententia adferri possunt, animo fluctuantiaeque satisfacere, in primis si quis hypothesi Origenianæ de præexistentia animarum omnium pertinax inhærere velit: sufficit tamen silentium Scripturae. S. in ejusmodi dogmate mysterioso, de quo citra Scripturam nihil omnino scire & determinare licet. De Christi redemptoris nostri supernaturali incarnatione ratio nihil dicitur, sed omnia ex Scriptura discenda; at vero animam Christi ante incarnationem præextitisse Scriptura nullibi docet. Objiciunt quidem varia Scripturæ loca, e. g. Joh. 16. v. 28. Hebr. 10. v. 5. Joh. 3. v. 13. Joh. 6. v. 62. 1. Cor. 15. v. 47. Eph. 4. v. 9. 10. sed allegata dicta vel agunt de λόγῳ ἀπόκριψι, qui utique præextit patri coeternus, vel de Christo iam incarnato sunt explicanda, seu Ecclesiæ nostræ Do-

cetes in Exegesi sua abunde ostendunt: consequenter pro præexistencia animæ Christi nullum argumentum suppeditant. Specialius omnia percurrere angustia pagina non permittit, exanimabimus tantum locum in ipso rubro dissertationis Fowlerianæ expressum Joh. 16. v. 28. quo tanquam ultimo fundamento Fowlerus sententiam suam supererat. Dicit ibi Christus: Εξηλθον τὰ παῖδες τὸν Πατέρα καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον τάλαι αφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορένουμε πρὸς τὸν πατέρα. Perreditum ad Patrem sine dubio intelligit, quod per exaltationem suam in gloriam suam intrarit. Luc. 24. v. 26. Licet enim alias abitus ad Patrem, non solum terminum, sed etiam viam ipsam connotet, ut pote Joh. 16. v. 5. 16. &c. hic tamen ille post derelictionem mundi ponitur; adeoque passionem mortem &c. Christi connotare non potest, sed tantum gloriosam Christi exaltationem exprimit, qua ad patris dextram consedit h. e. secundum humanam naturam ad regimem divinum ejusque plenarium ac incessantem usum evectus est. Vi contrariorum itaque sequitur, quod exitus a Patre hoc loco nihil aliud significet, quam quod Christus primo conceptio- nis

nes (15), iis se se associavit, id quod est secunda filatio,  
C 3 per

nis momento communicatorum  
humanæ sua naturæ axiomatum  
usu & exercitio se evacuaverit,  
quæ evacuatio optime dici potest  
exitus a Patre, quoniam axiomata  
ista divina, quæ λόγος humanae  
sua naturæ una cum hypostasi di-  
vina communicavit, & quorum  
usu Christus secundum huma-  
nam naturam in statu exinanitionis  
se evacuavit, ὁ λόγος habet  
per æternam generationem a Pa-  
tre. Porro per derelictionem  
mundi, quia antecedit redditum  
ad Patrem, commodissime intel-  
ligitur omnium infirmitatum hu-  
manarum depositio, quibus  
quamdiu in hoc mundo vixerat,  
sponte obnoxius fuerat. Unde  
per adventum in mundum, qui  
exitum a Patre consequitur, indi-  
catur assumptio illarum infirmitatium,  
quæ alias etiam per de-  
scensum ex celo exprimitur Joh.  
3. v. 13. Sic habemus in verbis  
nostris dictum classicum, quod  
de exaltatione, & exinanitione  
Christi agit, eius sensus hic est:  
Primo statim conceptionis mo-  
mento me exinanivi, quando do-  
norum mihi communicatorum  
usu me evacuavi, atque infirmi-  
tates humanas assumisi; nunc ve-

ro tempus est, ut rursus exalter &  
infirmitates istas assumptas depo-  
nam, sive ad plenarium ac in-  
cessantem donorum mihi collato-  
rum usum extollar. Vid. Franc.  
Jul. Lütke in Coll. Bibl pag. 180.  
seqq. Si autem haec ratione ejus-  
modi exitus a Patre intelligitur,  
& adventus in mundum, qui  
ipso incarnationis principio po-  
sterior est, dictum hoc de Christo  
incarnato erit explicandum: con-  
sequenter non de anima Christi  
ante incarnationem praexistenti,  
ut vult Fowlerus. Ceterum qui  
plura de hac controversia legere  
desiderat, audeat *Wilhelmm Sher-  
lockium in examine Dissert. de  
descensu hominis J. C. &c.* cuius  
excerpta habentur in T 4 suppl.  
*Alt. Erudit. pag. 51. seqq. it. Job.  
Marekium in Dissert. Acad. contra  
praexistentiam anime Christi in  
celis ante corporis ejus ortum in  
terrâ, ex nostris Zachariam Gra-  
pium in Christol. R C. Qv. i.*

(15) Haec sententia de merito  
Christi non hominibus modo;  
sed & rebus creatis quibuscum-  
que utili iterum Origeniana est,  
ut prolige probat Petrus Daniel  
*Huetius in Origenianis lib. 2 pag.  
57. seqq. imo ex parte jam ante  
Ori-*

Origenem defensores habuit, cui ex Tertulliani lib. de carne Christi cap. 14. intelligitur. Veruntamen Scriptura expresse docet, meritum Christi ne quidem ad Angelos extendi, sed ad solos homines pertinere, in loco illustri Ebr. 2. v. 16. ον γαρ διπτε Αγγελων επιλαμβανεται, αλλα σπερμα του θραζαι επιλαμβανεται. Hic enim επιλαμβανεσθαι, quod alias denotat manu apprehendere ut Marc. 8. v. 23. Luc. 9. v. 47. c. 14. v. 4. &c. commodissime ita accipitur, ut manu quasi injecta ex periculis liberare, succurrere & opitulari significet, quo sensu etiam legitur Syr. 4. v. 12. Η σοφια επιλαμβανεται γηγενειαν αυτην. Sapientia opitulatur quarentibus eam. Unde verborum Apostoli sensus hic est: Nusquam in Scriptura legitur, quod Christus Angelis opituletur; sed semini Abraha succurrit. Licet vero haec expositio sit etiam Phoenicia norum; minime tamen est Photiana, & in mysterium incarnationis injurya, quod jam ex v. 14. clare satis probatur. Unde & approbata est ab Esio & Brauni ad b. l. ab Hammondo ad Col. 1. v. 20. in primis autem specieuse defensa a Limborchio in Comm. ad b. l. Objici quidem posse videntur loca Paulina. Eph. 1. v. 10.

Placuit Deo *divans φραντων κατα τα πάντα εν τῷ χριστῷ, τῷ τε εν τοῖς θρανοῖς καὶ τα ἐπὶ τῆς γῆς* it. Col. 1. v. 18. 19. 20. Οτι εν αὐτῷ εύδοκησε πᾶν τὸ τολμώμα κατηκόπαι. Καὶ διὰ αὐτὸς αποκαταλλέλει τα πάντα εις αὐτὸν. Εἰγνωποῦσας διὰ τὴς ἀμυντικῆς αὐτῷ, εἴτε τὰ επὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ εν τοῖς θρανοῖς. Verum quod atinet ad locum priorem, per τὰ πάντα non intelligimus omnia simpliciter; sed τις πάντας, ut alibi Gal. 3. v. 22. coll. Rom. 11. v. 32. *αγχοφαλεῖσθαι* autem significat colligere, sub unum caput congregare, & in re militari de collectione sparsorum militum in unum globum usurpatur. Unde hoc tantum dicit Paulus, homines terrae incolas per peccatum a sanctis Angelis cœli incolis disjunctos per Christum ad eandem iterum societatem pertinere, & sub unum Caput iterum esse congregatos. In posteriori loca τὰ πάντα rursum denotare dicimus τις πάντας h. l. omnes omnino homines, & censemus agi ibidem v. 19. de reconciliatione eorundem cum Deo per Christum facta, v. 20. autem de pacificatione reconciliacionem istam fecuta inter angelos & homines, qui per peccatum etiam angelorum hostes facti fuerant.

Quo

per quam ille est primogenitus inter omnes creaturas. (16)  
Hic est, qui Cabballistis Adam Cadmon vocatur. (17) Plan-  
tave-

Quo pacto neuter locus autori no-  
stro patrocinatur.

(16) Hic locus recte explicatur de filiatione Christi prima, qua ab aeterno ex essentia Patris genitus est. Unde non dicit  $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$  sed  $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$ . Nec obstat, quod Christus  $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$  &  $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$  appelle-  
tur. Ita enim dicitur, non quasi etiam creatura sit, cuius quippe contrarium versus sequens abunde docet: sed quia est  $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$   $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$  &  $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$   $\pi\alpha\tau\omega\tau\eta\zeta\delta\sigma\tau\alpha$ . Ut explicit Chrysostomus, Ocumenius, Theodoretus & alii. Conf. B. Gerhardus Comm. ad h. l. & Steph. le Moynen Notis advaria sacra T. 2. pag. 447. seqq.

(17) De Adam Cadmon Cab-  
ballista prolixè quidem, sed ob-  
scure pro more suo multa dispe-  
runt, quorum quadam potiora &  
aliis clariora proferunt: R. Jiz-  
chak Lorienf. Tract. 1. lib. Dru-  
sebim Cap. 1. scribit: sciendum est  
breviter, quod lux suprema  
omnium & celissima sine carens, &  
infiniti nomine appellata nulla  
cognitione, nullaque speculatione  
attinigi queat, eisque fundamen-  
tum abstracuum plane sit & remo-

tum ab omni intellectu, quodque fuerit ante omnia emanatione pro-  
ducta creata formata & facta,  
nullumque in illa fuerit tempus,  
ejusve caput vel initium, cum  
semper exticerit, & maneat per-  
petuo omni principio & fine ca-  
rens: Ab hoc autem infinito pos-  
tum descendit existentia lumi-  
nis illius magni emanatione produ-  
cti, quod vocatur Adam Kadmon,  
Adam omnibus prima prior. Dein-  
de similiter ab ipso descendunt lu-  
mina ab ipso dependentia, que  
multa sunt admodum, prodeun-  
que ab ipso, & splendoris sui ra-  
diis extra ipsum emittunt —  
Deinceps ab illo dependent qua-  
tuor mundi, emanationis sc. (Azil-  
uthicus) Creationis (Briathicus)  
Formationis (Jezirathicus) & fa-  
ctionis (Afisathicus) noxi sati &  
late propositi in libro Sobar & Tik-  
kunim. Jam vero emanatio lucis  
busus prima & ceteri mundi, qui  
sub ipsa sunt, principium & finem  
habent, nec tempore destituntur,  
quoad existentiam atque emana-  
tionem suam, quod ira se non habet  
in infinito supra commemorato. R.  
Abraham Cohen Irira in  $\text{י}\text{ה}$   
 $\text{ו}\text{י}\text{ה}\text{ו}\text{י}$  Diff. 3. cap. 8. juxta auto-  
rem

rem Cabbale denudata T. 1. P. iii.  
pag. 72. hæc habet: Sciendum est,  
Numen infinitum seu causam pri-  
mam immediate produxisse אָדָם קְרָבָן i. e. quod in ipso dicitur  
Homo primus, qui ipsi intellectus  
occultus & cogitatio divina. & ab  
ijsō subsequenter lumina superna  
prodiisse &c. it. Dissert 5 cap. 12.  
pag. 106. Infinitum contractione  
sua locum fecit causatis suis pro-  
ducendis, & vestigium aliquod re-  
liquit in spatio illo, quod subje-  
ctum est, & quasi vas omnis lucis  
illuc infuse, ex qua productus est  
Adam Kadmon, & ipso mediante  
reliqua entia. **אָדוֹן קְרָבָן**  
nimirum seu spatum primum En-  
soph ita contractus infudit lucem  
suam & potentiam suam, illudque  
formavit & perficit; ita, ut Adam  
Kadmon causatum ejus primum  
perfettiissime & actu secundo com-  
positus sit & spatio facto per con-  
tractionem seu essentia, & e luce  
in illud immissa seu existentia vel  
actu secundo. Idem Dissert. 6.  
cap. 4. latius deducit, quare  
Adam Kadmon vocetur Adam,  
qui animatum sicut homo est mi-  
crocosmus; sic Adam Kadmon  
macrocosmus: sicut homo mate-  
rialis summum locum habet inter  
inferiora; sic Adam Kadmon inter  
superiora &c Quare autem ad  
differentiam Adami Protoplastæ,

qui אָדוֹן הַרְאֵשׁ nuncupatur,  
præfice Kadmon vocetur exponit  
R. Schimeon Ben Jochai in Tikkur-  
nim: Vocatur קְרָבָן anterior seu  
prior, quia est ante totam Azi-  
luth, caque prior, Vid. lex. Cabba-  
list. pag. 28. Hæc de Adam Cad-  
mon asserta Cabballistica eruditæ  
diversimode explicant, nec quid  
per eundem intelligatur omnes  
codem modo definiti. Non  
nulli ipsum DEum, quatenus  
certo modo se manifestat, & vir-  
tutem quandam ac operationem  
divinam indicari putant, quod  
vult Job. Franc. Buddeus in In-  
trod. ad Hist. Philos. Ebœorum  
pag. 322. Job. Wilhelmus Peterse-  
nius T. 1. der Wiederbringung aller  
Dinge. P. 1. pag. 134. figuram hu-  
jus Adami ex mente Judœorum  
exhibet, & addit: Aus dieser Fi-  
gur ist klar und offenbar, dass  
Adam Kadmon kein eigentlich  
genandtes Geschöpf, sondern  
bloß eine Modification der Göttli-  
chen Substantz sey, die sich nach  
einigen ihren Theilen also zu tren-  
nen und zu vermischen beliebet.  
Und gewislich, so Adam Kadmon  
was von dem Göttlichen Wesen Un-  
terschiedenes wäre, so würde fol-  
gen, dass nicht Gott, sondern  
Adam Kadmon die Welt geschaffen  
habe, welches von der jüdœischen  
Synagoge allezeit fern gewesen ist  
zu

taverat forte tabernaculum suum in magno illo sole,  
D qui

*zu bejahen.* Alii λόγοι, per  
eternam generationem a Patre  
productum, & secundam Tri-  
nitatis personam intelligi pu-  
tant, ut *Henricus Morus in  
Questionibus ad Tract. 1. lib.  
Drusichim cap. 1.* qui propterea  
descriptions istas, quæ ad hanc  
non quadrant, tanquam inepta  
recentiorum Cabballistarum  
figmenta repudiat. *Campadius  
Vatringer supposito Cabballistarum  
& Platonicorum consensu*  
Adam Kadmon eundem cum  
λόγῳ Platonicorum esse docet.  
*Obs. S. T. 2. lib. 5. cap. 12. §. 7.  
pag. 158.* Animam Messie per  
Adam Kadmon designari putat,  
qui nota adiecit ad R. Fizelback  
Lorie tract. de revolutionibus  
animatorum T. 2. Kabb. Denud. P.  
III. Tr. 2 pag. 244. eam tamen  
non solam, sed unitam λόγῳ  
ab initio creaturarum, uti hoc  
fisius explicavit & probavit  
Autor adumbrationis *Cabbala  
Christianæ* pag. 6. seqq. Et hæc  
est illa sententia, cui etiam ac-  
cedit autor noster, quando fi-  
lium Dei a principio rerum na-  
tura excellentissima inter crea-

turas induitum per Cabballista-  
rum Adam Kadmon indicari  
existimat. Nos impræsentia-  
rum mittimus aliorum senten-  
tias; instituti autem ratio po-  
stulat, ut de hac ultima, quæ  
etiam auctoris nostri est, mentem  
nostram aperiamus. Dicimus nimirum, descriptions  
Cabballisticas Adami anterioris  
ita se habere, ut ad animam  
Messie λόγῳ unitam applicari  
omnes non possint. Nam (1)  
supponit haec applicatio præ-  
existentiam animæ Christi an-  
te incarnationem, ab initio sci-  
licet omnium creaturarum, si-  
quidem Adam Kadmon ante  
omnes creaturest est, quid au-  
tem de hac præexistencia sen-  
tiendum, jam supra *Obsrv. 14.*  
exposuimus. (2) Per Adam  
Kadmon omnia creata sunt a  
Deo infinito; non vero per animam  
Messie λόγῳ unitam, si-  
quidem creatio hujus universi  
λόγῳ, non animæ λόγῳ unita  
tribuitur. Joh. 1. v. 3. (3) Adam Kadmon est a Deo infi-  
nito per emanationem, anima  
Messie, tanquam veri hominis  
per

qui nobis lucet ; (18) sed venit tandem in hunc globum , quem nos inhabitamus , ubi ex virgine natus humanam naturam assumpsit , ut homines ex ipsorum & sui hostis manu eriperet . Et quando tempus Judicii appropinquabit ; cum nempe tempus instabit , quo præsens globi nostri facies peribit ; (19) visibilis redibit ,

ut

per creationem , quod & ipse autor non diffitetur .

(18) Licet quis admitteret hypothesin autoris de primogenito creaturarum ; non tamen appetat ratio , quare Principes hujus creaturarum sedes præcise in sole nostro esse debat , adeoque sol noster pro loco in toto mundo primario habendus sit , cui multas stellas fixas nullo modo cedere Astronomia periti haud improbabiliter colligunt . Ipse proinde *Leibnitius* autoris assertionem ut rationi non satis conformem rejicit . *in Theod.* pag 128 . Si quis provocare velit ad Ps . 19 . v . 6 . In sole posuit tabernaculum suum ; unde Manichæi Christum in sole corpus suum deposuisse præbarunt , &

*Origenes* probasse fertur , quem tamen vindicat *Huetius* in *Origen.* lib 2 . p . 62 . ille , inspiciat quæso textum Ebraicum , & videbit locum illum plane alium habere sensum , qui tantum dicit , quod Deus soli in celis locum quendam concesserit .

(19) Conflagrationem mundi , in extremo die futuram non omniimodam terræ nostræ annihilationem , sed ejus solummodo immutationem inferre clare docet autor ; imo quia in sequentibus statim solis permanentis mentionem injicit , nec tamen ullam ejus mutationem commemorat , eandem conflagrationem non nisi ad hunc mundum sublunarem ad terram nostram cum ambiente celo aereo referendam

cen-

ut bonos hinc auferat, & in solem forte transportet;  
 (20) malos autem cum Dæmonibus, qui eos seduxerunt.

D 2

censere videtur, quemadmodum particularem ejusmodi unius corporis mundani exuationem, cum circa finem seculi 16ti insignis stella in Cassiopea effulgit, contigisse nonnulli existimant. Vid. *Act. Erud. ad A 1693 pag. 17.* De thesi priori a multis veterum & recentiorum, imo & nostra Ecclesia nonnullis Doctoribus approbata non acriter disputabimus, quia fatemur argumenta contrariae sententiae talia esse, ad quæ commode responderi potest, si tantum destrunctionem formæ, rei alicuius essentiale abolitionem, non tamen totalem substantiaz annihilationem inferre animadvertisimus. Videri ea possunt apud *B. Gerhardum in L. L. T. 9. de conf. seculi 6. 39 seqq.* Quod vero ad thesin posteriorem attinet, oblitare videntur nonnulla Scriptura loca, quæ nostro quidem iudicio conflagrationem particularem totius terræ & cœli

aërei eam ambientis non permittunt. *Cœli peribunt*, dicit David, וְכָלָם & omnes sic uel simentum veterascent. Universi quotquot sunt veterascent. Ergo non cœlum saltem aëreum, sed & æthereum. Ps. 102. v. 27. Notabilis in primis locus est Ps. 72. v. 7. *Florebit justus in diebus ejus & multitudo pacis* עֲדָבָדִי וַרְחָנָן donec non amplius erit luna. Loquitur David de regno gratiæ, quod *Messias* in hoc mundo habet, & cuius finis erit in extremo die, quando alia regni Christi forma incipiet, ut etiam Paulus docet 1 Cor. 15. v. 24. Jam autem hujus regni finem ita describit, ut dicat, tunc non amplius fore lunam. Ergo post extremum diem luna non amplius luna erit: si hoc; Ergo & in extremo die non sola terra conflagabit.

(20) Cœlum beatorum locum aliquem corporeum esse,  
Theo-

runt, hic pœnis afficiat. Tunc terræ globus ignem concipiet, & Cometa fortassis erit. (21) Ignis ille nescio quot æones durabit; caudam autem Cometæ designat fumus, qui juxta Apocalypsin continenter ascendet, & hoc incendium erit infernus, (22) seu mors

Theologi nostri determinare non audent: sed ponamus illud; unde vero probabitur, cœlum beatorum præcise in sole esse. Putamus certe, argumenta, quæ hic proferri possunt, probabiliora non esse; quæ in sole infernum esse evincunt ex sententia cuiusdam anonymi in Tract. Anno 1714. Londini anglice edito de natura & loco inferni.

(21) Quando autor ardenter terræ globum in ipsa conflagratione per aliquot æones, h. e. ex ejus sententia per aliquot periodos œconomiae diuinæ duratura, Cometam fore docet, supponit sine dubio atmospharam circa ardenter terram ineffabilis spissitudinis & maxime caliginosam, ex vaporibus & sumis in isto statu

compactam, quam etiam indicat Henricus Morus in Magni Myst. Piet. lib. 6. cap. 9. Opp. I. 3. pag. 223. Cometæ enim non apparent ut globi ardentes, sed per telescopium visi simillimi videntur nubeculae a sole illuminatae teste imprimitis Erhardo Weigelio, cui Cometam A. 1664. una cum nubecula aliqua in vicinia horizontis a Sole adhuc illuminata simul contueri datum est. Vid. ejus Fortsetzung des Himmels-Spiegels. pag. 96.

(22) Non adstipulamus autori, quando cum Henrico Morris l.c. præeunte quodammodo ipso Origene lib. 5. contra Celsum p. m. 48. ardenter terram infernum fore putat. Nam (1) nondum probatum est, ignem infernalem esse ignem ejusmodi

cor-

mors secunda , de qua Scriptura S. loquitur. Tandem  
tamen infernus mortuos suos reddet , (23) mors ipsa  
D 3 de-

corporeum materialem & visibilem. Licit enim in Scriptura, sulphur, flamma, famus &c. ei tribuatur; notum tamen est, res futuri seculi describi verbis hujus seculi. (2) Ignis infernalis ante terrae conflagrationem jam nunc existit, siquidem dives helluo jam tunc, quando fratres ejus adhuc vivunt, de cruceibus in flammis infernibus conqueritur. Luc. 16. v. 24. (3) Terra non in aeternum flagrabit, sed conflagabit. Etenim σωχθα κανονικα λαθησοται, η γη η τα εν αυτη εγγρα καταπαισται 2. Pet. 3. v. 10. At vero ignis infernalis perpetuus est , ut mox probabitur.

(23) Hæc sententia Origenis ex ipso gentilismo petita de fine peccatarum infernalium, & quidem non per annihilationem damnatorum, ut sociniani volunt, & qui socinizant; ied per mutationem status eo-

rundem miseri infelicem explicato lib. 1. περι δεκαών Cap. VI. lib. 3. cap. 5. Tom. 15. in Matthæum pag. 397. & in multis aliis locis asserta defensores post ipsum, inter græcos inprimis, multos habuit, saltem ex parte Doctores misericordes, contra quos disputat Augustinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 17. Sopitam controversiam refuscitavit Waltherus Lohardus, quem seculi sunt Cælius secundus Curio, Franciscus Georgius, Guil. Possellus, Stanislaus Pannonius, Joan Denek, Petrus Serarius, Abraham von Franckenberg, Job. Pordage, Franciscus Mercurius van Helmont, Johanna Leade, Thomas Burnetius, Job. Conradus Dippelius, Job. Eleonora Petersenii &c. Instar omnium autem esse poterit hujus maritus Job. Wilhelmus Petersenius, qui vastum & varia ceteroquin eruditione refertum opus edidit: Von dem Geheim-

nißk

destructur, Ratio & pax regnabunt iterum in spiritibus, qui perversi fuerant. Sentient iniquitatem suam, adorabunt Creatorem suum, eumque eo intensiori complecten-

nisz der Wiederbringung aller Dinge, ubi liberationem damnatorum atque restorationem eorum conquisitis undique argumentis ex professo prolixè libi probandam sumpsit. Nos cum Augustana Confess Art. 17 aeternitatem poenarum infernalium docemus (1) quia Christus dicit: Καὶ ἀπελέυσονται ἐπὶ εἰς κόλασιν ἀώνιον, ὃ δὲ σίδηος εἰς ζωὴν εἰώνιον. Matth. 25. v. 46. Correspondet hic aeternitas poenæ aeternæ aeternitati vita aeternæ, & utraque per eandem vocem εἰώνιον in uno eodemque versiculo exprimitur. Sicut itaque ζωὴ εἰώνιον est vita sine fine, ut auctor ipse in fine systematis sui fateri videtur; ita etiam κόλασις εἰώνιον est poena sine fine. Excipiunt quidem, qui secus sentiunt, aliam esse rationem vita aeternæ, aliam poena aeternæ. Vita aeterna est sine principio, & aeternam habet radicem, in

Deo ipso, adeoque etiam est sine fine, & aeternitas ei tributa est aeternitas absoluta; poena aeterna in tempore incipit, & peccatum sequitur, quod aeternam non habet radicem, adeoque etiam finem habet, & aeternitas ei tributa non nisi de periodica aeternitate intelligenda. Veruntamen respondetur (a) licet ratione initii disparitas quedam esset inter vitam aeternam & poenam aeternam; nondum tamen propterea statim disparitas quedam insertur ratione finis, cum contradicatio nulla demonstrativo quodam argumento ostendi queat, si quis dicat, non illud tantum quod initium non habet, sed & quod in tempore incepit permittente & volente Deo omni fine carere. Humana Christi natura in tempore cœpit, & tamen in aeternum manebit. Neque vero (β) hæc disparitas vita & poenæ aeternæ ratione prin-

plecentur amore, quo abyssum, unde iis exire liceat profundorem esse animadventent. Interea per parallelismum harmonicum Regnorum naturae & gratiae diutur-

principii conceditur. Si enim de radice sermo est; utriusque radix est in Deo, ejus quidem in amore divino, hujus in justitia divina; si de actuali fructione vitae aeternae & punitione infernali sermo est, utraque initium habet, & praexistentiam creature in tempore producit supponit. (2) Christus simpliciter omnem poenitentiam infernalem finem aperte negat, quando de gehenna damnatorum dicit, quod sit τὸ ὄωρό τοῦ ἀτβέτου, ὅπερ ὁ σκώληξ αυτῶν εἰ τελεύτης, καὶ τὸ ὄωρό σβένιγμα Marc. 9. v. 43. 44. Excipiunt quidem observandā esse voculam ὅπερ, Christum non simpliciter dicere, quod vermis damnatorum non moriatur, & ignis non extinguitur, sed quod vermis damnatorum in gehenna non moriatur, quod ignis damnatorum, quam diu gehenna fuerit, non extinguitur; extinguendum autem

esse ignem, & vermem mori- turum, quando gehenna abo- lebitur. Verum enim vero respondeatur, Christum de- fūmpissime verba sua ex Ef. 66 v. 24. ubi simpliciter dicitur: כי רולשתם לא תחות ואשׁ בְּנֵי אָמִן הַכְּבָדָה. Frustra adeo in vo- ce ὅπερ subsidium querunt, quæ in Esaia non extat, & saltem a Christo propterea adjicetur, ut cum in v. 43. de ὄωροι quodam sermo sit, cundem vox hæc cum sequente v. 44. commode connecteret. (3) Christus de Iuda proditore suo dicit: Κα- λὸν ἦν αὐτῷ, εἰ ἐγενήθη ὁ ἀνθρώπος ἐκεῖ. Matth. 26. v. 24. Bonum fuisset, aut potius Phras̄ Ebraic̄ usitata: Melius fuisset ipsi, si nunquam natus fuisset ille homo. Jam autem quis diceret, melius esse plane non existere, quam per breve aliquod tempus cruciari, & in aeternum deinde felicem esse. Breve tempus nomina- mus

diuturno hoc & magno incendio purgatus erit terræ globus a suis maculis. Sol iterum siet, (24) angelus ejus Præses locum suum recuperabit, cum aliis sui ordinis

mus tempus cruciatuum ex hypothetū adversarii, quia omne finitum, quantumcumque etiam sit non habet sensibilem proportionem ad infinitum, & pro exiguo, imo pro nullo haberī potest. Dicendum itaque omnino, Christum respicere ad pœnam infernalem, nunquam finiendam. Sic enim utique melius est nunquam existere, quam in æternum cruciari. Quæ objiciuntur ab adversariis, partim sunt argumenta rationis probabilia, quorum contra aperta Scripturæ verba in articulis fidei valor nullus est: partim nituntur dictis quibusdam Scripturæ obscuriis, quæ ex clarioribus explicanda sunt, ut analogia fidei servetur. Autor provocare videtur ad Apoc. 20. v. 13. unde verba ejus desumpta sunt, sed incommodo satis, qui redditio mortuorum, de qua Johannes loquitur, judicium ex-

tremum & projectionem stagnum ignis antecedet, ut versus sequens clare docet; autor autem redditionem intelligit, post judicium extremum post aliquot zonæ futuram & talem, cum qua ipse infernus aboleatur.

(24) Supponit autor sperandam restitutionem omnium in pristinum statum in quo ante lapsum fuerunt. Sicut itaque tellurem nostram solem olim suisse credit, ita quoque eandem in solem rursus mutantem iri existimat. At vero hypothesis posteriorum jam supra refutavimus n. 5. & quod ad priorem attinet, ejusmodi restitutio universalis solide probari nequit, quæ etiam plantarum, infectorum, brutorum &c. restitutionem insert, ipsi Peter senio acerrimo alias restitutio- nis universalis defensori minime probatam in T. i. der Wiederbrin-

dinis angelis, homines damnati cum ipsis erunt ex numero angelorum bonorum, hic Princeps Globi nostri homagium præstabit Messiae Principi Creaturarum,  
E gloria

*derbringung aller Dinge P. 1.*  
fol. 70. & alibi. Παλιγγενεσία, de qua Christus loquitur Matth. 19. v. 28. non præcise ex Philosophia Stoica debet explicari, ubi instaurationem mundi post ejus exustiæm significat, ut docet Thomas Gatakerus in *Notis ad Marcii Antonini lib. XI. §. 1. pag. 318* it. in *Advers. Miscell. Poßb.* Cap. 33. pag. 770. nec non *Job. Clericus Comm. ad l. e.* sed potest specialiorem obtinere significatum, & restitutionem tantum corporum nostrorum, resurrectionem mortuorum denotare, pro qua explicatione *Theophylactum*, & *Euthymium* ex græcis, ex latinis *Hieronymum*, *Gregorium M. Augustinum*, *Bernhardum* &c. citat *Suicerus in Thes. Eccl. ad vocem παλιγγενεσία*. Notabilis in primis locus est in *Eusebii H. E. lib. 5. cap. 1. pag. 165.* ubi Ecclesiæ Viennensis & Lugdu-

nensis in martyrum suorum cineres adeo persecutores seviisse ajunt, ὡς συνάμενοι νυκτὸς Θεού καὶ αὐρηλέως αὐτῶν τὴν παλιγγενεσίαν, ἵνα ὡς ἐλεγού ἐκένοι, μηδὲ ἐπιδιὰ χώρας τῆς αἰαστόσεως. Act. 3. v. 21. Petrus ἀποκαταστάτως πεόντων mentionem injicit, quem locum nonnulli priori ex Matthæo parallelum faciunt, & mysterium restitutionis universalia aperte docere putant. Verum licet facile concedamus, ἀποκαταστάτως vocem alias ita usurpari, ut ad exprimendam restitutionem universalem apta sit. Adhibetur enim apud JCTos græcos de restitutione in integrum in priorem statum, apud Astronomos de restitutione solis & lunæ in pristinum orbite sua locum, in Philosophia Stoica de instauratione mundi, qua ut modo diximus, etiam παλιγγενεσία vocatur. Vid. Petersen T. 1. der Wiederbr.

gloria hujus angeli in gratiam recepti major erit,  
quam ante lapsum fuit.

Inque DEos iterum fatorum lege receptus,  
Aureus aeternum noster regnabit Apollo.

Wiederbr. P. 1. fol. 3. seqv. Hombergk in Parergis Sacris. Clericus in Comm. ad l. c. Burnetius in tellurio Theoria S. lib. 4. cap. 5. Thomasius in Exerc. de exustione mundi stoica Diff. 9. &c. Quæstio tamen adhuc est, an quod ἀποκαίδιστος πάντων significare potest, in verbis Petrinis revera etiam significet.

Non dicitur simpliciter ἀποκαίδιστος πάντων: sed additur ὁ ἐλάλησεν ὁ Θεός. Commodissime itaque ἀποκαίδιστος idem esse potest, quod τελείωσις, ceu Hesychius vocem istam explicat, ut sensus sit, Christianum cœlum capere, donec omnia fuerint consummata, quæ Prophetæ prædixerunt.



94. A 7355

ULB Halle

000 925 640

3




5b.

St. 17. 1. 12


17

21.

11. 12. 12



### Farbkarte #13



FAVENTE SUMMO NUMINE  
MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI JUSSU  
**PRO LOCO**  
PROFESSIONIS IN THEOLOGIA  
EXTRAORDINARIAE  
**NOTAS ET ANIMAD-  
VERSIONES**  
IN  
ANONYMI CUJUSDAM  
**THEOLOGIAE  
ASTRONOMICÆ  
SYSTEMA,**  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
P R A E S E S  
**CHRISTOPHORUS Langhansen/**  
S. THEOL. D. EJUSDEMQUE ET MATHEMATUM P.P.  
RESPONDENTE  
**JOHANNE PHILIPPO Bullinger/**  
REG. BOR.  
IN AUDITORIO MAXIMO  
ANNO MDCCXVIII. DIE VIII. APRIL. HORIS ANTE - ET POMERID.

RECIOMONTI TYPIS REUSNERIANIS.